

Bibliothèque numérique

medic@

Cousin, Jean - candidat / Monstreuil,
Jean de - président. - An ????????
sensus communis sedes ?

1641.

Paris

Cote : ms 77 n°887

DEO OPTIMO MAXIMO VNI ET TRINO,
VIRGINIQUE DEIPARÆ.

ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA.
QVODLIBETARIIS DISPVATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XXIV. IANVARII.

M. IOANNE DE MONSTROEIL Doctore Medico, Præside

887

An sensus sit communis sedes?

CVM demortuum corpus solita viventibus non exequatur munera, eam ab ipso distinctam aliquam causam haberi necesse est, cuius propria peculiarisque actio vita sit, anima nuncupatur, quæ calore nativo, eoque elementari, ac per singulas viventis partes diffuso, tanquam primario instrumento ad suas functiones obeundas vitur. Triplex illius genus vegetans, sentiens, intelligens vegetans vi formatrice & alteratrice prædita accommodatum sibi corpus fingit, quod calore humidum primigenium depalcente, ad interitum ruit, citiusque ruet, ni affluentis nutrimenti commectat, eius indefinens iactura repararetur, huic officio incumbit facultas nutritrix, quæ non modo in locum deperditæ substantiæ tantum reponit, quantum defuit, verum etiam amplius quam effluxerit, unde vivens augetur, præscriptæ acquirat magnitudinem: sentiens huius virtutibus instructa est, quia & cognoscit, appetit, movetur: intelligens præter illas dotes, rationem obtinuit, quæ ornatus homo cunctis animantibus antecellit.

COGNITIO stirpibus inutilis, terra cui affixæ sunt, quasi pro ventre est, præparatum subministrat alimentum, eâ animalis indigent, quæ motu cident interiore, ut cibum convenientem quærant, res noxias fugiant, vitæ prosequantur. Hunc finem externi sensus facti esse videntur, quibus tanquam exploratoribus & internuntiis res quolibet obvias deprehenderent. Quinque sunt tactus, gustus, visus, auditus, odoratus: tactus & gustus ad vitam omnino necessarii, ille tactiles dignoscit qualitates, & homini, ut temperatissimo, acerrimus obtigit, certè non addidit est parti, sed ratione nervi, proprii scilicet organi, ubique diffusi, toti corpori communis est, hic *ὁ κοινὸς αἰσθητικὸς* in lingue insidet, cuius cæto rata, mollis, spongiosa humore salivali perpetuò irrigata, de esculentorum saporibus iudicat.

MAIORIS commodi gratiâ comparati sunt visus, auditus, odoratus: primus omnium nobilissimus in oculo est, qui pellucidus, aqueus, ad instar speculi, obiectorum imagines recipit & repræsentat; inter varias partes, quibus componitur, præcipuum tenet *ἀποδοτικὸν* tunica, cui cæteræ membræ, humores etiam in ipsis inclusi ministrant: alter in aure manet, & circa sonos occupatur, cuius membræ tenuissima aëri viderant more appellenti exposita, impressum sonum officulorum motu, nervo communicat; præparant aërem auricula, sinus anfractuosis, atque vi nimirum frangunt: tertius odores perferent, quos ad mammillares processus nares deducunt.

SENSUS alterationis perceptio, nec solius animæ, nec solius corporis, sed utriusque operâ perficitur, recipit corpus, percipit anima, atque facultate quadam externis sensibus communi ac subserviente se sentire sentit, & quid inter album, dulce, calidum discriminis intercedat, discernit; ea potentia una est, solisque competit animantibus, cuius ergo, vicissim dormiunt, vigiliant. Somnus affectus humidus, primi sensorii quasi vinculum & quies est, vigilia eiusdem solutio.

CEREBRVM facultatum animalium sedes, meningibus & ossibus munivndiqueque munitum, frigida & humida temperie donatum fuit, planibusque distinctum partibus, quibus ut à se invicem disjunctæ sunt, insident. Inter illas glandula observatur *νεφελω* appellata, velut centrum in medio ventriculorum sita, ad quam ex sensibus externis, quasi è circumferentia ductæ lineæ concurrunt, cumque unica sit plexu choroide iussulta, elaboratis spiritibus semper turgens, in ea sola dux tum oculis, tum auribus exceptæ species vñiri possunt ac debent: *ὁ κοινὸς αἰσθητικὸς* & *ὁ κοινὸς νοητικὸς* in. Propterea malè Aristoteles sensum communem in corde, malè Arabes in anteriore cerebri parte, malè Metoposcopi in fronte & eius lincis posuere voluerunt.

Ergo sensus sit communis sedes.

334

Proponerbat Lutetiæ IOANNES COVSIN Parisinus. A. R. S. H. M. DC. XLI.

DOMINI DOCTORES DISPVATVRI.

M. Petrus Yon.
M. Claudius Germain.
M. Germanus Præaux.

M. Ludovicus Renouard.
M. Petrus le Comte.
M. Mathias Alton.

M. Nicolaus Regnier.
M. Ioannis de Bourges.
M. Ludovicus Robillard.

